Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Unde ait apostolus. Nam si in spiritalibus participes facti sunt gen
tiles, debent et in carnalibus ministrare eis. Hec sunt fructifera
ligna. In istis vero gradibus tamquam in quibusdam diebus vespera
est ipsa perfectio singulorum operum, et mane inchoatio se
quentium. .II. CAPITULUM.

POST ISTORUM namque quasi sex dierum opera bona.
valde sperat homo quietem mentis. constitutus in spi
ritali paradyso. quo significatur vita beatorum. ubi fons est
sapientie. divisus in quatuor partes virtutum. ubi edat
lignum vite gratiam, ubi utiles disciplinas morum quasi fructus
lignorum carpat. Est namque paradysus. vita beatorum. quatuor
flumina. IIII virtutes, ligna eius omnis utilis disciplina. lignorum
fructus mores perfectorum. lignum vite. ipsa bonorum omnium mater
sapientia est. Salemone dicente. Lignum vite est his qui
apprehenderint eam, et qui tenuerit beatus. Lignum scientie
boni et mali. transgressio est mandati. Ex primo hactenus sex
dierum opera qualiter in ecclesia spiritaliter intelligantur explicata
sunt, deinde quid in figura seculi significent subtiendum est.
Sex diebus consummavit deus omnia opera sua, et septimo re
quievit. Sex etatibus humanum genus in hoc seculo per successiones
temporum dei opera insinuant, quarum prima est ab adam usque ad
noe. secunda a noe usque ad abraham. tercia ab abraham usque ad
david. quarta a david usque ad transmigrationem babylonie.
quinta deinde usque ad humilem adventum domini nostri ihesu christi.
sexta que nunc agitur usque quo mundus finiatur. donec excel
sus veniat ad iudicium. Septima vero intelligitur in requie sanctorum.
que scilicet vesperam non habet, quia eam iam nullus terminus
finit. Pergamus ergo breviter per has omnes mundi etates, et replican
tes ordinem temporum. eorumque mysticas differentias distinguamus.
Primo enim seculo factus est tamquam lux homo in paradyso.
In qua etate filios dei in lucis nomine divisit deus a filiis hominum